



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Secvnda Admonitio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

ALIUS error est, de quo difficilius questio est: Si quis ignorans ducit ab alio compressam, aut gravidam ex alio, an liceat dissolvi sponsalia & coniugium, ut saepe peritur. Sape affertur hæc questio in iudicia, sed usitato iure pronuntiatur, ut sponsus seu maritus retineat ante compressam à se uel ab alio, siue sciens, siue inscius talem duxerit. Et fortassis in recentibus constitutionibus hoc sancitum est, te facile dissoluantur coniugia, & ne ardeat leuitas eorum, qui libenter uxores qualicumque prætextu abijciunt, quoquo modo uoluntate mutata. **NOTA** sic igitur præfens consuetudo, de qua extant dicta expressa in iure Canonico. Sed in Deuteronomio, cap. 22. alia sententia est, quæ iubet lapidibus obrui compressam ab alio, quæ postea tanquam uirgo nupsit alteri, si fuerit accusata, & uir peti diuortium. Hæc fuit uetus seueritas in lege diuina, quam aliquantisper & alia gentes sapientiores imitatae sunt. Creusa apud Euripidem græua nubit Xutho duci, & natus est ex ea Ion, quem mater infan-tem exposuit. Postea re prolata mater supplicium metuit, sed seruat à Pallade. Et apud Terentium in Hecyra, Pamphilus non uult recipere coniugem, quam putat ex alio gravidam fuisse. Erant igitur in eo casu usitata diuortia. Sed addam ordine de quibusdam casibus accommodatas commonefactiones.

## P R I M A.

**L**EX Moysi iubebat eum, qui compressisset puellam, ducere eam uxorem, & ei dotem attribuere, siue promississet coniugium, siue non promississet. Sed nostra iura non cogunt te ducere à te compressam, si non promissisti coniugium. Dotis tamen mentionem faciunt. Ducat autem dotem. Quod idem fuit usitatum Attico iure.

## S E C V N D A A D M O N I T I O.

**F**ORTASSIS ideo ab antiqua consuetudine discessit recentior ætas, quæ cogit retinere compressam ab alio, quia scilicet accusare nouam nuptam, saepe propter suspiciones aut offensiones qualescunque in periculum uenirent innocentes. Sape etiam patefierent arcana delicta, quæ regi multo honestius & utilius est, iuxta illud: Omnia delicta tegit dilectio. Itaque gubernatores prohibere accusaciones uoluerunt: Nec uituperandum est hoc consilium. **E**T S I autem non fero nouas leges, tamen modeste dicere licet, quid uideatur prodesse. Primum tentanda est reconciliatio, ut is, qui errore duxit compressam ab alio, retineat eam, præsertim si est modesta. Quia diuortia saepe magnæ calamitates sequuntur, quarum habenda ratio est à iudice, & ab actore. Sin autem reconciliatio perfici non potest, sapiens iudex, cuius ea est autoritas, ne postea miretur

D d 5 sen-entia.

sententia, imitari potest exemplum legis Mosaicæ, eo usque, ut de di-  
uortio pronuntiet. Notum est enim, leges forenses Moyli non perti-  
nere ad nostras politias, sed tamen ibi conspicitur, quid Deus appro-  
bat. POSSUNT igitur legum conditores suo loco hanc legem  
ferre, ut in tali casu, si reconciliatio non procedat, fiat diuortium. Et  
multo intolerabilior est error in hoc casu, quam si quis ignorans du-  
xisset ancillam. Et possunt addi aliæ rationes honestæ. Sed exem-  
plum legis Mosaicæ plus munit conscientias, quam alia argumenta.  
Quia ex testimonio legis diuinæ certi sunt legislatores & iudices, se  
non facere contra voluntatem Dei.

## ALIYS CASVS.

SAEPÈ & de hoc casu quæritur: An habens uxorem, ut Dauid,  
& aliam attingens, possit deinde mortuis prioribus coniugibus ducere  
compressam antea, cum maritus esset alterius, aut ipsa alterius  
coniunx? Canones prohibent coniugium in hoc casu. Prohibent  
item, si facta sit machinatio ad interficiendum coniugem alterius.  
Hæc decreta bono consilio facta sunt, ut adulteria maiore cura viten-  
rentur. Sed exemplum Davidis ostendit, in hoc casu coniugium posse  
concedi, & hac *in causa* iudex nunc quoque, uti potest, præferim cum  
politici Magistratus adulteria non puniunt, & Deo valde displicent  
vagabundæ commixtiones.

## ALIA QVAESTIO.

AN LICEAT CHRISTIANO DUCERE  
Ethnicam, aut alioqui dissentientem  
de Religione?

PROHIBENT Canones ducere Ethnicam & Hæreticam: quod  
etiam bono consilio constitutum est: quia & lex diuina prohibet  
coniugia cum Philistæis. Sed hic quoque nosse regulam necesse est: Ecce  
angelum non abolet politias. Sed concionatur de iusticia cordis: In-  
terea in vita externa sinit nos uti legibus politicis, non pugnantibus  
cum legibus naturalibus, sicut utimur diuersis dierum spacijs. Ita  
Paulus expresse iubet, ut retineant Christiani coniuges, quæ volunt  
in eodem coniugio manere, etiamsi non amplectuntur eandem reli-  
gionem. Et addit consolationem: Sanctificatur vir infidelis per uxo-  
rem fidelem, id est, credenti usus coniugij sit mundus, id est, non dis-  
plicens Deo, etiamsi coniunx de religione dissentit, sicut dicitur.  
Sanctificatur cibus per uerbum & orationem, id est, est concessus, non  
displicet Deo usus cibi. ITA mater Augustini Christiana ma-  
sit in coniugio mariti ethnici, & quidem asperi, qui postea obsequijs  
& virtute uxoris morus est, ut ad agnitionem Christi flecteretur. *As*